conspicabitur tunc, ornabitur quæcumque causa, quæ videatur posse condicere ultem ad pœnæ mitigationem. Ita in impunitate criminum, in dissuetudine, contemptuque legum impii exultabunt Beccaria dei delitti, e delle pene § 10.° verſ. 3.°

At caveant nihilominuſ civeſ, ne forte justam legum asperitatem temere accusent aliquando. Nam si pro vario civitatum statu, si pro locorum, ac temporum conditione diversa crimen aliquando hic nunc [illegible] valde noceat, quod ipsum in aliiſ locis, temporibusque non ita valde nocuisset, faciet quidem rectissime lex quæ illud ulciscatur acriuſ (l. aut facta 16.a § evenit 9.o ff. de pœniſ, l. in Egypto 10.a ff. de extraordinariiſ criminibuſ, l. unica cod.e de Nili aggeribuſ non rumpendiſ, Mat. in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 1.o num. 13.o. Vere enim grave crimen est ubicumque, et quandocumque lædit magnopere (sequenti § 11.o). Similiter si delicta quoque per se levia, deprehendantur, tamen alicubi minuſ frequentia, justissimum propter eam rem accrevisse ulteriorem severitatem dicta l. aut facta 16.a § nonnunquam ultimo ff. de pœniſ, l. 1.a in princ. ff. de abigeiſ, Antoniuſ Mat. loco citato. Nam si non singula pondere, attamen universa

numero perturbant, læduntque vehementer. Ipsaque illa illorum singulariſ crebritaſ manifesto est indicio, pœnaſ antea statutaſ carere efficacitate, ut ideo augeri sit necessarium (sequenti § 13.o in princ.).

§ 11.

Pareſ quam pœnæ sequantur, criminum gravitaſ, quomodo metienda sit.

Frustra de pœnarum æqua magnitudine cogitabimur, nisi priuſ perspectum erit de vera magnitudine criminum: quippe merito in hoc irrisoſ accepimuſ Stoicoſ, quod maleficia omnia dicerent paria, dicerentque ideo necesse haberent, peccasse æqualiter, qui confregisset cauleſ alieni horti, et qui sacra templa diripuisset; ceu lepide carpit Horatiuſ lib. 1.o satirarum 3.a verſ. 115.o et sequentibuſ.

Graviora autem, leviorque crimina ex quibuſ rebuſ censebimuſ? Profecto damnum sociale pono pro norma æstimationiſ hujuſ, ut majuſ, minusve crimen debeat videri, prout magiſ minusve læserit. Nam cum quæ ibi hæc fiat propter pœnaſ, quarum siuſ habent societateſ civileſ tantum quia habere interest (§ 10.o verſ. 1.o, § 12.o verſ. 1.o in fine,

§ 22° vers. 2° in principio, § 24° vers. 1° libri primi; § 6° libri secundi), certe interest, ut pœnis acribus nitamur tanto magis illis resistere maleficiis, quæ majorem perniciem civibus inferunt.

Non placet eorum sententia, qui malitiam metiendam non putant: non solum quia de interiore illa, abditaque re difficile est judicare; verum etiam quia interdum delictis malitiæ plenis, tamen civitas parum læditur; at concutitur sæpe, convelliturque delictis aliis continentibus multo minorem improbitatem Beccaria dei delitti e delle pene § 24°

Scribunt etiam, qui crimina rentur æstimanda secundum rationem, ut vocant, compositam ex malitia, atque damno. Porro compositæ rationi isti quid tribuere debeam non video: quandoquidem tam illa abest a vera, perpetuaque regula, ut haud ita raro pluris fiat, fierique debeat, vel quæ caret malitia, simplex ratio damni. Sic quæ maxime perniciosa exstiterunt, vel solam per negligentiam, nullus prudens civitatum rector, curatorque sedulus non putabit graviora, et pœnis non reprimet asperioribus, quam quæ tametsi perfecta animo ab improbissimo, nocuerunt multo minus.

Nec obstat, quod culpa quasi delictorum vindicatur mollius: sævitur autem acerbius in dolum delictorum verorum (Lib. 1° § 13°): hoc enim in delictis diversis non est verum: quisquis enim modo compos rationis non ita graviter animadvertat in homine, qui colapum alteri inflixerit summa licet malevolentia, sicut gravissime animadvertat in ducem militum, cujus ignavia perierit exercitus universus. In eodem autem delicti genere, eodemque delicto plus quidem ducitur dolus, quam culpa; quia cum cetera habeamus paria, perniciosius est sine dubio, quod fit per dolum, quam quod tantum per culpam: ex illo enim, quam ex hoc exsistit exemplum pejus Grotius de jure belli et pacis Lib. 1° cap. 2° § 26°

§ 12°

Utrum pro personarum varia statu, et dignitate esse quoque varia debeant pœnarum vis, et proportio.

Personarum rationem in pœnis oportere scribit Saturninus in l. aut facta 16a § sed hæc 1°, et § persona 3° ff. de pœnis. Consentiunt Ulpianus,

at Marcus, ille in l. moris est 9a. § sive fere 11o, iste in l. sequenti in princ. ff. eodem titulo. Praeterea in l. 3a. § ultimo ff. ad legem Corneliam de sicariis narratur = legis Corneliae de sicariis, et veneficiis poena insulae deportatio est, et omnium bonorum ademptio. Sed solent hodie capite puniri, nisi honestiore loco positi fuerint, ut poenam legis sustineant. Humiliores enim solent vel bestiis subjici: altiores vero deportantur in insulam =, et in l. 1a in fine ff. de lege Cornelia de falsis similiter traditur = poena ~~leg~~ falsi deportatio est, et omnium bonorum publicatio: at si servus eorum quid admiserit, ultimo supplicio affici jubetur =: adde quae in eandem sententiam extant in l. capitalium 28o. § ultimo ff. de poenis, et l. ultima ff. de sepulchro violato vid. Antonius Mat. in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 4o num. 20. ad 22. Egit ne vero haec disciplina radices in Philosophia, atque natura? Experiamur.

Laesit te forte aliquis injuriis, et calcibus: minus punietur, si vir ingenuus, et illustris erat: magis punietur, si erat infamis, aut

obtineant ~~[illegible]~~ tormenta, non quia enim utraque personae, sed quia delicta diversa: namque ingenuitate contumelia, quae crescit ex humilitate injuriantis Mat. in lib. 48. tit. 18. cap. 4o. num. 22o. Rursum si pro eisdem criminibus humiliores damnentur in opera publica, honestiores autem nonnumquam relegentur in arcem, id fit similiter non ut poena levior, sed ut ne gravior existat. Manifestum est enim molestia operum talium multo vehementius hos nec idoneos, et delicatos affectum iri, quam certe labori assuetos, et robustiores illos. Atque ex monet, atque spectat quod passim traditur, proportionem in hisce rebus non arithmeticam, sed geometricam. Aristoteles lib. 5o. ethicorum cap. 6o., Antonius Mat. in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 4o. num 7. quae videlicet non tam postulet ut eadem poena, seu poenae materies, quam ut par sit vis. Multa enim in genere isto re sunt antiqua, quae tamen specie videntur aequa: et ideo in dispari conditione reorum oportet aeque decernere poenas itidem dispares, non ut ita recedamus, sed ~~ut~~ imo ut maxime perveniatur ad justam aequalitatem.

At quando aequaliter poena cruciat, coercetque

in delictis qualibus, tunc vero datum personis videtur, si quid conditio earum excellens detrahat severitati animadversionis. Hoc perinquam verum est, nescio equidem, cur isti debeant haberi mitius, quos imo in peccando reperies et minus excusabiles, et magis noxios <u>Beccaria dei delitti, e delle pene § 17° vers. ultimo, Antonius Mat. in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 4° num. 31° vers. verum, et vers. ex his intelligitur.</u> Nam quos minime praebebat fecunda scelerum mater egestas, quos educatio ingenua, et nobilium clara facta majorum, et adepti dignitatis gradus exhortabantur certatim, impellebantque ad virtutem, hos multo justius accuso, si nihilominus maluerunt deflectere ad vitium, ac turpitudinem. Quam autem dira ex flagitiis talibus pestis nascitur in civitate? Qui existunt altiore loco, ab illis ducere vulgus solet: eorum sequitur auctoritatem, quemadmodum in tea bonis rebus bonus, ita multo facilius in malis. Quanto fiunt insuper audaciores, et quid denique non tentabunt potentes, ubi cognoverint potentiae cedere et leges ipsas? Ad rem Antonius Mat. <u>in lib. 48. tit. 18. cap. 4° sub num. 7° vers. in publicis quoque.</u>

Pro iisdem delictis poenas non tamen easdem exigi non est quidem sine magna vulgi offensione, et invidia; praesertim ubi non appareat id immo

fieri ad commendabilem illam conservandam proportionem, de qua diximus. Quod si careat poenarum diversitas, quae detrahat poenae aliquid etiam efficacitatis, atqui potest in hominum animis augeri terroris? Omnino in quocumque reo, quae flagitat poenam pariter efficacem ad coercendum, est salus universi populi, quae suprema plane lex est, quae summa rerum civilium; quam ne violes, quidvis aliud lusi facilius <u>Beccaria dei delitti, e delle pene § 34° vers. ut prius in princ.</u> Quamquam vero sive honorum splendor, sive decus gentile non tam laedetur, quam adjuvabitur, ubi par ista, ac metuenda severitas, opprime illa quidem potens continendi in officio, affecerit, multo ut rariores in posterum sint, qui vel honores, quos gerunt, vel familiarum, e quibus existunt, nobilitatem delinquendo contaminent.

Parcendum quidem innocentibus ne propter supplicia hominum, quos attingunt cognatione, videantur in ignominiam et ipsi incidisse. Atqui haec ratio, ista aequitas facit etiam pro tenuioribus, quorum si familiaris claritas non tanta est, est tamen unicuique sua existimatio, atque fama cunctis carissima, quam ab aliorum sceleribus conservari inviolatam non nihilo minus justum, cum tanto propterea plus interest,

quanto pluribus agat istud miserabile genus hominum, quae quidem consequi haud licebit amplius, ubi semper infames facti evitantur ab omnibus. Quocirca illustre legislatorem nunquam satis laudavero, qui dum poenas in civitate sancit formidabiles, simul, quantum potis est, cavet, ne sint probrosae. Si quae vero delicta nullis afflictionibus aliis, aut solum reprimi valeant per infamiam curanda est opinio, errorque comunis; erigendi, honorandique publice propinqui ejus, cui fama per leges merito detracta est: hoc modo, aliisque similibus multitudo edocebitur, nam cujusque existimationem in se uno, factisque suis, et non in alienis esse positam, et non aliunde pendere. Ita quoque familiarum privatis rationibus digne consuletur nulla cum offensione, cladeque publica Beccaria dei delitti e delle pene dicto § 17° vers. ultimo.

§ 13.

Poenae inefficaces.

Cur poenis in civitate? cur puniendi jus habes? nisi propter utilitatem terroris, quam poenae ingerunt. Stas igitur quoties irrogas tales, quae non sufficiant ad absterrendum, non modo, quam debes protegere, societatem turpissime deseres, verum illam quoque

quoque ipsa, quae in qualicumque, quam praescripseris, poena inesse debet asperitas, carebit justitia, quemadmodum et utilitate.

Quo autem manenda, atque efficax inesset puniendi vis, oportet inprimis uti genere illo, in quo affligantur omnes. Hujusmodi est dolor, qui per sensus venit; hujusmodi itidem privationes rerum earum, quas omnes homines appetunt. Nam quae incomoda alii aliter existimant, non ea profecto continent poenae vim efficientem, quia dum quadam metum efficiunt, contemnentur a caeteris. Iis vero modis affligendi [illegible]tur, in quo quivis intelligat plus mali esse capiendum ex poena, quam boni ex maleficiis. Beccaria dei delitti e delle pene § 12° vers. 3... Quippe si amarities poenarum vincatur delectatione criminum, nemo propter animadversiones tales manebit in officio: sin una illa parte, anceps erit electio, anceps poenarum rigor, anceps tutela salusque omnium. Quamquam vero nec ancipiti, at dubia utamur forma; certe lues omnigenorum scelerum permanebit in civitate, quia plus certis, praesentibusque comodis criminum commovebuntur homines, quam nihilo quidem majoribus, at eisdem futuris, remotis poenarum incomodis; quae incomoda etiam nunquam desperant fugiendo, aliterque